

98



93.
O R A T I O
FVNEBRIS, IN HO-
NOREM

*Illustrissimi Principis &
Domini, Dn.*

CHRISTOPHORI
DVCIS MEGAPOLITANI, PRIN-
cipis Vandalorum, Comitissuerini,
Domini Rostochij & Stargar-
diæ &c. Domini clemen-
tissimi,

Scripta

à

RVDOLPHO DÆMONE
Pictaviensi, Gallo.

additis eiusdem, &

VITI GRAVLI I. V. Doctoris
Epitaphijs.



ROSTOCHI

Typis Stephani Myliandri,
ANNO MD. LXXII.

Illustrissimo & generosissimo principi

ac Dn. Dn. GUSTAVO Saxoniae, Angariae & Westphaliae Duci, Domino S. clementissimo.

Illustrissime Princeps & Domine clementissime, hanc orationem & hos versiculos quos Illustrissimo nomini vestro audeo dedicare duplex mihi ratio fuit. Primum enim postquam me totum serviendo addixi Cels. vestra; non operas tantum & labores meos ei consecrandos existimaui; sed etiam otium meum: ne fecisse furtum viderer, si quid mihi temporis subducerem, quod in meos usus impenderetur. Tum eius doloris, qui me huic otio tradidit, non minima pars ad Cels. vestram pertinet, propter illam, quae ipsi cum Illustrissima Principe vidua intercedit, cognationem. Eadem enim utriusque origo est ab uno regio fonte & capite. Equidem mallet rebus & factis potius quam verbis id persolvere quod debeo Cels. vestre. Sed quando id mihi tempus & occasio negat, hoc interim presto quod in manu est: quod nolim quidem in sortem cedere, sed saltem in usuras. Quamquam hoc otium meum tale fortasse est, ut alteri pro negotio esse possit. Sit igitur haec funerea cupressus, quam ex Musarum hortis avulsam huic funeri Principali praefero, sacra Cels. vestre. Et faxint fata ut palmae & lauri feliciores ramos olim ei possim consecrare.

V. Cels.

addictis.

Rudolphus Daemon
Pictaviensis, Gallus.

ORATIO
RVDOLPHI DÆMONIS
Pictaviensis.

SI quis olim peregrinus aut Mercurij statuam, aut
tumulum aut lapidem in via ramis & floribus or-
natum reperisset, nefas & irreligiosum esse duce-
bat non oblati ex solenni more muneribus præte-
rire. Sed quanquam aliò festinans cursum siste-
bat, et genium loci apprecatus, sua quoque dona qua-
liacunque pro tempore poterat dedicabat. Tam exigua res tan-
tam veteribus religionem fecit. At vos, sanctiores quavis Mer-
curij statua, Megapolensis Principis manes, quos tot Poëtarum ac
Theologorum carminibus exornatos video, ego peregrinus si per
negligentiam aut fraudem malignè incelebratos præterirem, quæ
me piacula tandem resolvere ac expiare possent. Quamuis
enim militiæ me studio magis quàm Musarum laboribus dedi-
tum præstandæ assiduè Principi Dominoque meo operæ ab his o-
ciosis officijs auocare & excusationem legitimam mereri videan-
tur: tamen non est mora longa, licebitque injecto ter puluere, &
dictis bonis novissimisque verbis ex diuerticulo in viam redire ac
festinare. Hunc igitur tuo cineri, ô varijs fati fortunæque casibus
defuncte fortissime Princeps CHRISTOPHORE, nos
quoque honorem largiemur. Vos ô vetustissimæ Herulorum
gentis lumina Megapolensium Principum augustissimæ reliquiæ,
tunc ô moestissima ELISABETHA, magnorum Sueciæ
Regum progenies, cæteri que ad quos hi manes attinent, fauete
linguis: atque hoc una mecum agite. Ecquos autem suavissimos
memoriæ tuæ odores adolebimus? quos flores spargemus tumu-
lo tuo? quibus laudibus animam tuam ævo sempiterno fruen-
tem

tem cumulabimus? Arceps & dubius animi feror, unde prius
dicendi exordium sumam. Offert enim se mihi ante omnia no-
bilitas tua, & vetustissimæ Henetum Herulorumq; gentis subli-
mia nomina inter Germanorum potentissimos Principatus sum-
ma cum omnium admiratione fulgentia. Sed generis tui splendi-
dissimis titulis virtus tua, & miranda per omnes vita modos an-
teferri jure merito videtur efflagitare, quum eadem tibi pro no-
bilitate esse potuerit, si forte nascenti nobilitas defuisset. Partem
igitur laudum titulorumq; tuorum non summam in origine na-
talibusq; tuis positurus: & si qua tela, pauca saltem extra scopum
temerè projecturus sum. Nam ut hoc in majorum tuo-
rum laudem non tuam facere velim, ecquando mihi contigerit
tot Henetum, Herulorum, Vandalorum, Megapolensium non
operosa dicam bella, sed vel nomina recitare? Retexenda mihi
longa Principum Regumq; series, & generis tui origo ab illo
Alexandri magni magno adjutore Anthyrio esset repetenda, qui
post varios sub tanto Imperatore labores exantlatos, in hoc ipsum
natale solum ex quo emigrauerat, laudem honoremq; amplissi-
mum, & inter cætera virtutis suæ præmia Bucephali Alexan-
dro carissimi equi speciem clypeo suo impressam reportauit: quam
nati natorum ab illo acceptam ad vos deinde posteros suos sub *Βού-
κεφαλή* pro Symbolo & armorum insignibus transmiserunt.
Eruenda præterea mihi esset ex antiquitatis latebris ingens illa
Heroum multitudo, qui in Italia & in Africa felicissima olim bel-
la gesserunt, & regna virtute sua sibi constituerunt, sed omnes illa-
crymabiles urgentur ignotiq; longa nocte, quia vatibus sacris &
virtutum suarum præconibus caruerunt. Atq; ego si me ef-
fundere vellem in his asserendis laudandisq;, benigna materia est:
Sed genere & proavis, & ijs quæ ipse non gessisti, tanquam non
tuis, silentio prætermittis, ad ea quæ tibi propria sunt, mentem
orationemq; conuerto. Et jam tibi ab ipsis propè incunabulis
duriora fuisse fata perspicio. Patrem enim ALBERTVM illum
Ium.

omni virtutum genere cumulatifimum Principem puero adhuc
tibi fortuna præripuit: cuius sub faustis penetralibus indoles tua
eautrita, longè longèq; proculdubio felicior exstitisset. Paternæ
tamen virtutis semina patre extincto nequaquam in te extincta
sunt: sed occulto æuo crescentia foecundissimè pullularunt;
exemploq; tuo postea verissimum illud esse comprobasti, quod di-
ci solet, fortes creari fortibus & bonis. Nec verò omnibus te
fortuna auxilijs interea spoliavit. Patre amisso quotquot fer-
mè tibi fuerunt adnati fratres, tot tibi seduli prouidiq; Patres esse
cœperunt: quorum quum in potestate tutelaq; pupillus esses, te
Patria, te Religio utraq; sibi natum asserens, in summis rerum an-
gustijs postulat. Armorum sonitus tota Germania audiebatur:
Carolusq; ille nomine tantùm quintus, sed virtute bellica, re-
busq; gestis vel primus, vel certè primo proximus omnium Ger-
maniae Principum ceruicibus & libertatibus imminabat. Pe-
regrina auxilia necessitas cogebat aduocari: quæ non aliunde
quàm ex Gallia precibus obsidibusq; datis impetranda affulge-
bant. Ergo vnus pro multorum salute datus es, & obses in Gal-
liam missus, socia Gallorum arma cum Germanicis armis pe-
riculo tuo conjunxisti. Macte virtute puer, hæc siue fortuna, siue
potius fatalis gloria est, communis tibi est cum magni illius Ale-
xandri, sub quo autores gentis tuæ militarunt, fortissimo patre
Philippo. Is enim post mortem Amyntæ patris à fratre suo ma-
jore natu Thebanis obses datus, gratiam pacis patriæ suæ concilia-
uit. Nec minus res quàm Philippo ad maxima egregiæ indolis
incrementa tibi profuit. Siquidem in amplissimi totius Euro-
pæ Regni florentissima aula apud Henricum Francisci primi fi-
lium moribus Principe dignis atq; honestis disciplinis imbutus
tandem ad tuos pace fruentes reuersus es. Missus deinde in
Littoniam, quanta Di; boni pro leui bono mala & incommoda
pertulisti? Equidem sic censuissem eò impendendos esse tot la-
bores ac pericula, unde emolumentum majus sperari potuisset.

A 3

Sed

Sed quia tibi honor semper pro fructu fuit, ne tua te spes immerito frustrata videatur, cum laude & bonis recordationibus facta atque famam nominis tui prosequemur: de quibus melius sanctiusque ut spero posteritas quam hoc nostrum seculum iudicabit. Virtutem enim incolumen odimus invidi, eandem ex oculis sublatam quaerimus ac suspiramus. Accipe igitur tu bona & aequa posteritas inuictissimae fortitudinis exempla quae imiteris: nec patere ut negligentia tua tot labores nunquam satis laudati Principis intereant, & liuidae obliuionis fluctibus penitus immergantur. Nam haec meminisse & memorare olim gaudebis, quae me nunc referente & amoris tuo admirationisque consecrante cognosces. Quanquam quis tantum in dicendo valet, ut omnia enumerare ac recensere possit? Opus medium fidius maioris spiritus & oris. Itaque summa tantum rerum fastigia persequar, dicamque breuius quam res tanta dici possit. Postquam Christophoro Raceburgensi Episcopo CHRISTOPHORVS noster pietate & prudentia commendatissimus Princeps in Episcopa successit: in hac administratione pie feliciterque versatus, tam moderatum se moderatorem esse demonstrauit; ut Borussiae Ducis frater VVilhelmus Rigae quae in Liuania est Archiepiscopus sapientissimi iustissimique Principis fama delectatus, ultrò eum sibi successorem adoptauerit, magnum adiutorem posset qui ferre secundas. Nec ignorabat Princeps quam plenum inuidia & grauissimis odijs ac periculis undique circumseptum onus susciperet: & unde plus hauriendum sibi mali laboris, quam fructuum decerpendum esse praeuideret. Sed imperterritus animus nihil magis quam timidi famam aut suspicionem timens, quicquid oneris esset subire ac perferre maluit, quam sanctissimo viro in re tam honesta spem suam & auxilium denegare. Vix in Liuania peruenerat, quum par ipsius animo periculum fortuna ostentauit. Nec enim summus ordinis Magister, caeterisque Liuaniae proceres externum Principem modestè ferre poterant: Itaque

Itaq; sumptis armis omnes in vnum coniurati conantur illum de nouo dignitatis gradu deicere: verum inopina auxilia Deus opt. Max. pio fortiq; Principi suscitauit. Hunc Ferdinandus Caesar, hunc omnes sacri Imperij Electores subleuarunt: ac tandem coadjutor in Principali Rigæ Episcopa omnium consensu & pace approbatus, tam vulem se non Rigæ tantum sed vniuersæ Liuoniæ ostendit, ut facile omnes perspicerent, ipsum multo magis dignitate, quam illam dignitatem ipso carere potuisse. Quis enim alter tam fortiter se immensæ Moscorum potentiaæ opposuit? quis tot pericula tam increpidè subiit? quis tot labores tam indefesso & animo & corpore pro salute eorum à quibus tam inclementer exceptus eras, sustinuit? Grassabatur in vniuersam Liuoniam ingens Moscorum exercitus: arcesq; & oppida occupans ferro ac flamma omnia deuastabat. Non plebs modo sed fortes etiam terrebantur: tantum illa secum timoris trahebat innumera & inopina hostium furentium multitudo. Ipse etiam ordinis summus Magister jam jam turpiter abiecturus Magistratus insignia de salute patriæ desperabat. Ergo itur ad nostrum Principem: omnisq; iuuentus & nobilitas Rigensis, quem antea repudiauerat, in his angustijs militiæ suæ eundem præfectum conclamauit. Qui memoriã omnem iniuriarum generoso ex pectore abiiciens, arma repente sumit: totisq; viribus tanti belli discrimen aditurus, non minus animosè, quam si pro patria sua dimicasset hostium copias obuius excepit ac profligauit: quasq; illi occupauerant arces, eas omnes virtute sua deiectis præsijs recuperauit. Nec tantum externa bella fortiter dimicando propulsauit, sed intestinos etiam ciuilesq; motus sapienter composuit: quum turbulentus ordinis Magister, aliq; pacis publicæ perturbatores Magnum Regis Daniae fratrem æquo animo non paterentur. Quamob. verè mihi attestari licet, nulli magis quam huic Principi aras focosq; suos debere Liuoniam, integre libertatis iura pristinumq; splendore suum ipsi etiam debituram, si se illa sub sacri Imperij tutela continens vicina arma et auxilia non mendicasset. Atq; hinc spectare operepretium est

Principis nostri fidem atq; integritatem, qui ab Imperio deficere nefas sibi esse existimans, ubi omnium sententiæ nouum Dominum postulantium obsisti ab uno frustra cognouit, relicta Liuania concessit in Germaniam. Certabant inter se duo magni potentescq; Reges Polonus & Suecus de Liuania patrocinio tutelaq; suscipienda. Sueciæ Rex Ericus, cui cognitam Megapolensis Principis fortitudinem fidemq; publica fama fecerat, postquam eum se rerum Liuonensium administratione abdicasse intellexit, impensè ad se allicere studet, & affinitatis vinculo tantam sibi virtutem coniungere. Quamobrem spe oblata matrimonij cum ejusdem sorore Elisabetha, Holmiam contendit Princeps: nec eum à conditione tam illustris conjugij suscipiendæ cum Polono inimiciæ absterruerunt. Sed fortuna illa semper sæuolenta negotio, & pertinax ludum ludere insolentem, mox speratum illū honorem in desperationem, et optati conjugij dulce vinculum in duram longamq; captiuitatem transmutauit. Barbara, aspera, inculta moribus Raua, quæ indigno seruitutis onere Principem humanissimum fortissimumq; pressisti, molestissima durissimacq; custodia toto sexennio coarctatum, perpetuam tibi crudelitatis maculam justissima posteritas inurat, quam nulla ætas, nulla obliuio unquam deletura sit: eademq; æquo judicio aestimet, quanta in Principe animi magnitudo fuerit, quem usq; & usq; sollicitatum, ut contra datam Sueco fidem Poloni partes amplecteretur, nec promissa nec minæ, nec longæ captiuitatis fastidia vel tantulum immutarunt. Scilicet nobile & generosum pectus aduersis rebus frangi non potest: & sua se virtute inuoluens, aut liberationem aut mortem honestam sperat. Dura, perfer, sustine: non, si malè nunc & olim sic erit. Verùm enim verò ut mala fortuna non minùs quam bona mutabilis est, tandem læta & serena tranquillitas affulsit: fratrumq; precibus in libertatem restitutus majori quàm antea admirationi omnib. Christiani orbis Principibus esse cœpisti. Tuam inprimis Maximilianus

Ianus Cæsar virtutem quanti faceret demonstrauit. Nam
quum toti imperio periculossima bella imminerent, ut te ma-
ximæ & augustissimæ Austriacorum genti perpetuò deuinci-
ret, ingentia tibi annua stipendia, quæ paternarum virtutum
non minus quàm imperij hæres potentissimus Imperator Ro-
dolphus rata habuit, assignauit. Te Rex Daniæ Fridericus
I. post mortem suam, quum Erico Sueciæ Rege fatis suis de-
functo promissâ jam olim tibi Elisabetha negaretur, generum
habuit: quandoquidem charissima ei filia Dorothea connubio
iuncta est tibi, quam tamen post biennium immatura mors
à thalamo iterum dissociauit tuo. Nimirum fata illa, quæ in-
terdum hominum consilijs retardari, nunquam impediti pos-
sunt, jamdudum tibi debitam magni Gustau Suecorum Regis
filiam præstantem animi corporisq; dotibus Heroïnâ refer-
uabant. Hęc te laborum dulcis requies; hoc aduersæ fortu-
næ solatium, hæc virtutum tuarum deniq; præmia manebant:
Videndaq; iterum erat melioribus auspicijs illa Suecorum, Go-
thorum, Vandalorum augustissima sedes Holmia: unde reuer-
tenti, & regio apparatu Nympharum pulcerrimam nouam
tuam nuptam in has sedes deducenti, centum tibi Nereides,
deæq; omnes maris Balthici assurgentes, felicem faustumq; ceci-
nerunt Hymenæum. O quantum tu nunc ab illa Regia virgine
latante & exultante mutata es, mœrens dolensq; vidua: quæ
perennibus lacrymis madens iam nihil nisi tristitia es; quæ dies
noctesq; in luctu trahens generosum pectus assiduis gemitibus
& lamentis concutis: quæ semper vrges flebilibus modis con-
jugem ademptum: nec tibi vespero surgente decedunt amores,
nec rapidum fugiente solem. At ò cœlestibus tandem decre-
tis & inuiolabili fato mortalis cede, cede femina: nec æterno
desiderio luge, quem æternum tibi futurum sperare non potui-
sti. Lex & ratio est quæ dolori obstitendum iubet: quæ nos
in luctum & lacrymas agit, inconsulta perturbatio est. Sic


B

autem

autem animo tecum reputa, rerum humanarum nullam esse constantiam, fortunæq; blandientis et fallere cupientis escam esse felicitatem nostram. Durum hoc, durum. fateor. sed leuius fit patientia, quicquid corrigere est nefas. Nam si fas esset lacrymis obtinere ut reuiuiscere optimus Princeps posset; en omnium tibi condolentium mœstissimos vultus intuerè: en quotquot tristissimum hoc exequiarum subimus ministerium, parati sumus oculos nostros in lacrymarum fonteis conuerrere, ut hac mercede tecum vna omnes desideratissimo Principe potiamur: sed heu! heu! sic frustra p̄ij, non ita nobis crediti diuturniorem vsuram reposceremus. Quin illum beatorum sedibus quiescentem, ex salutis ac tranquillitatis portu in hoc iterum vndosum ac procellosum pelagus reuocare velle impia pietas esset. Quamobrem inutilibus lacrymis, querelisq; tuis modum finemq; tandem impone: mentemq; tuam mœrore consternatam erige, ac dirige in illam qua nunc in cœlo fruitur vitam ac felicitatem sempiternam: ad quam quum non quam per hanc mortem pateat via; hac illum transisse ne plus nimio doleas, qua ad immortalitatem itur. Sed magis admirare quàm expedire, quàm celeriter, quàm non ægrè hoc iter omnibus alijs terribile confecerit, ut eadem res in illo fuisse videatur mori ac mortuum esse. O bonæ fidei debitorem, à quo non prius Natura ius suum repetit, quàm recepit: qui ita se morti tradidit ut quieti: quemq; inter mortuum & dormientem nulla differentia fuit. Hæc illa bona & optabilis mors est, quam totius orbis dominus Cæsar, pridie quàm ipsi contingeret, laudauit & expetiuit. Hæc illa est quam, quum citata ad Dei tribunal corpora nostra iudicanda consurgent, qui tunc erunt superstites, uno eodemq; momento ex hac vita per mortem in alteram vitam rapti experientur: quæ rectius veriusq; immutatio quam mors appellanda est. O te igitur felicem *eu θαρύτρα*, cui ille dolorum maximus morientium dolor minimus.

mus.

mus ac breuissimus fuit. felicem quem mors dormientem oc-
cupans tam molliter amplexata est, ut ne à somno quidem re-
excitarit. quem non horror, non languor, non febres & longa
malorum caterua confecerunt: sed integrum, sanum, lætum,
placidissima, somnoq̃ simillima, & contra naturam suam mitif-
sima mors in aliud seculum transportauit. Non horruisti,
non genuisti, non doluisti moriturus, sed eadem qua vitam
ipsam fortitudine & constantia mortem pertulisti. Sic vixisti,
ut mortem contempseris: sic mortuus es, ut vitam etiam vide-
aris contempsisse. Vtq̃ nullę res aduersę animum vnquam
tuum ita frangere potuerunt, ut ex corpore in quo à Deo
opt. Max. collocatus fuerat, iniussu ejus emigraret: sic ubi il-
le euocari se sensit ad hoc extremum certamen obeun-
dum, excubias suas sine murmure vlllo deserens
tanquam ex custodia lætus gaudensq̃
euolauit.



B 2

Quere-

Querela de amissione consilij, calami & lin-
guæ, cum adiuncta petitione restitutionis in integrum,
alludens ad versum Aristophanis, munus, siue
officium Consiliarij adumbrantis.

Γράφων βουλευόν, καὶ τῆ γλωττῆ πολεμήσων.

Luce magis dilecte olim fortissime Princeps,
Ipsa mihi hæc per quem Lux quoque grata fuit.
Te mihi quum Dominum fortuna secunda dedisset,
Non dominum sensi, sed magis esse patrem:
Flebilis hinc multis, nulli sed flebilis æque,
Atque tuo Craulo raptus ad astra fugis.
Non sum qualis eram: Et si me non vita relinquit,
At mihi mens certè te pereunte perit.
Consilium, lingua Et calamus, quondam arma beato,
Quæis tua defendi res bene posset; erant:
Proq; tuis ausi pugnare aris q; focis q;
Fortia honoratæ sumsimus arma togæ.
Nunc vigor ille animi cecidit, nunc tristis Eliza
Lugemus segnes aspera fata tua:
Cuius ut afflictis cupiam succurrere rebus,
Consilium, calamus, linguaq; nulla mihi est.
Abstulit hæc tua mors, nudumq; inopemq; reliquit,
Sollicitus tantum pectora mæror habet.
Acta si qua domus restat tibi cura ruentis,
Meq; iterum lapsis rebus adesse cupis.

A'sis

*Adsis ô, mentemq̄, nouam, uireisq̄, priores,
Quas dederas Graulo, nunc quoque redde tuo:
Redde eadem, quæ tu moriens tecum arma tulisti,
Et calamum & linguam consiliumq̄, mihi.
Restitui leges spoliatum ante omnia mandant,
Assertor legum nonne seuerus eras?
Nunc quoque sis. cæli te nam super astra relatum,
Credibile est æquum non minus esse tuis.
Sic ego, sic iterum mihi redditus arma capeſſam.
Quique fui nuper mox quoque miles ero.
Auxiliumq̄, tuæ semper tibi fidus Elizæ
Et calamo & lingua consilioq̄, feram.*

VIT. GRAVLVS I. V. D.
Megapol. & Holfat. Conſil.



IN FELICEM OBITVM
Illuſtriſſimi Principis ac Domini, Do-
mini CHRISTOPHORI, piæ memoriæ,
Ducis Megapolenſis, &c.

EPITAPHIVM.

*V*Ita mihi duris fortuna exercita rebus,
An vita an potius Mors fuit, an. biguum eſt:

B 3

At ſu-

At subita & blando mors continuata sopori,
An mors an potius sit sopor ambiguum est.
Nec sopor est nec mors, felix mutatio vite est,
Qua mihi pro duro parta labore quies.

ALIVD.

Qui toties Martis Mortisq; pericula vicit,
Hoc tumulto inclusus pulvis & umbra jacet.
Miraris subita praeceptum morte Viator?
Haud poterat tantum mors superare virum:
Callida sed blandi speciem mentita soporis,
Invenit facileis insidiosa vias.

ALIVD.

Morte cita extinctum quum fleret Eliza maritum,
Turtur ut erepto coniuge mœsta gemit:
Dicitur assiduas tum primum aurita querelas,
Audisse à regnis Parca superba suis:
Quidque meum, dixit, culpas iniuria numen?
Fata tui gemitus, non ego, crimen habent.
Crede mihi, invita tetigi tua gaudia dextra,
Et minimum ut potui seua fuisse, fui.

Illu-

Illustrissimæ Principi ac Dominæ, Do-
minæ ELIZ Abethæ, ex regia Suecorum fa-
milia oriundæ, Ducissæ Megapolensi, &c.
VIDVÆ MOERENTI DOLENTIQVE.

HAs quoque nos lacrymas sed non addemus inaneis
Fletibus & lacrymis Elizabetha tuis.
Plangimus extinctum lacrymis viventibus, & quas
Posteritas simili mota dolore legat.
Magnanimiq; Ducis tamuli de pulvere nomen
Mittimus eximium vincta per ora virum.
At tu cede Deo, nec fata obistere contra,
Non audit querulas parca superba preces.



Illmo Principi ac Domino, Domino
VLDRICHO, Duci Megapolensi, Van-
dalarum Principi, Comiti Suerinensi,
Rostochiorum, Stargardiorumq;
Domino, Domino suo
clementissimo.

TE quoque magnanimi mouerunt funera fratris,
Et tua sollicitus pectora mæror habet.
O decus antique gentis cui Vandala tellus
Paret, & à magnis gloria venit auis.

Quem

Quem tibi cognato cineri libamus honorem
ULDRICE, arbitrio sit ratus ille tuo.
Et patere ista legi sacrum quæ carmina magni
Christophori ad tumulum mæsta Camæna canit.



Ad Ill^m Principem ac Dominum,
Dominum CAROLVM, Ducem
Megapolensem, &c.

HÆc tibi, quæ mæstus fleui sub funera fratris
Carmina Carle tui, summam libantia vitam
Principis, & memori longè tradentia seculo,
Hæc voueo atque dico, sacramq; appendo tabellam,
Triste ministerium præstans, sed quale maligna
Sors voluit, melius quondam motura Camænas
In laudes nomenq; tuum, gentisq; vetusta
Æternum decus. interea lacrymabile munus
Accipe, & hos planctus veri monumenta doloris.

RUDOLPHVS DÆMON
Piéclauensis, Gallus.





W 1999

[70/98]

ULB Halle 3
001 915 363



Sb.

V 3 17 ✓
Retro ✓





70





93.
ORATIO
FUNEBRIS, IN HO-
NOREM

*Illustrissimi Principis &
Domini, Dn.*

CHRISTOPHORI
DVCIS MEGAPOLITANI, PRIN-
cipis Vandalorum, Comitis Suerini,
Domini Rostochij & Stargar-
diæ &c. Domini clemen-
tissimi,

Scripta

a

RVDOLPHO DÆMONE
Pictaviensi, Gallo.

additis eiusdem, &

VITI GRAVLI I. V. Doctoris
Epitaphijs.



ROSTOCHI

Typis Stephani Myliandri,
ANNO MD. LXXII.